





ORDINIS IVRIDICI DECANI ^{427 8}
~~509~~ //
CAROLI FRIDER. WINKLERI D.

PROLVSIO ^{1773/5}

QVA

PRAENOBILISSIMI CANDIDATI

IOANNIS FRIDERICI LANGHOFF

HAMBVRGENSIS

SOLEMNIA INAVGVRALIA

INDICVNTVR

FRAEMISSIS NONNVLLIS

DE

APPELLATIONE EXECVTIONEM SENTENTIAE
HEREDI SCRIPTO HEREDITATIS POSSESSIO-
NEM ADIVDICANTIS NEQVE HODIE IN
FORIS HOLSATICIS IMPEDIENTE.

KILIAE HOLSATORVM
LITTERIS MICH. FRIDER. BARTSCHII
ACAD. TYPOGR.

1773.

ORDINE JURIS DICARII
CAROLI FRIDR. WINKELRIEDEL

1801

674

FRANCOGALLICIS
IOHANNIS FRIDERICI LANGHOF

MANUSCRIPTO

SOLEMNITATE EXAMINATA

INDICATA

REPERITUR

APPELLATIONE EXECUTIONEM SENTENTIAE
HEREDI SCRIPTO HEREDITATIS POSSESSIO
REM ADIUDICANTIS SINE HOMINE IN
FORMA SOLIATIS IMPEDIENTE

FRANCOGALLICIS
FRIDERICI MOSE HEREDI REPERITUR
ADAM TROGER





Vsum Appellationum, qui imperitiam & iniquitatem iudicantium corrigere (a), atque oppressam per errorem vel gratiam cognitoris saluare dicitur iustitiam (b), ipsa reipublicae salus, quae absque aequa iustitiae & recta iudiciorum administratione valde periclitatur, maxime commendat & eatenus has ab inferiori ad superiorem iudicem prouocationes, ipsis aeterni atque immutabilis iuris principiis conuenire, adserere non dubitamus. Quo frequentius in miseram illam litigantes incidunt conditionem, vt de iudicibus, qui a sordibus se abstinere nesciunt & iisdem corrupti male iudicant, quum raro inueniatur iudex, qui gratis improbus esse velit, aut ambitione, aliisque adfectibus deprauari inique pron-

A 2

nunci-

(a) L. 1. pr. D. de appellat.

(b) L. 29. C. de appellat.

nunciant, vel malitia conqueri, vel imprudentiam & inscitiam eorum accusare cogantur, qui circumstantiis causae parum accurate perspectis, a vero iustitiae tramite aberrantes mirifice halucinantur, eo magis necessarium est, ut hocce malum, ne latius in dies latiusque serpat, quantum fieri potest, caueatur & reprimatur, salutem autem fortunisque eorum remedio efficaci & praesenti subueniatur, qui illius ictus nimis grauer sentiunt.

Vehementer tamen erraverit, qui has ad publicam utilitatem relatas cogitationes huic innocentiae praesidio primam originem dedisse sibi persuadere veller, quam potius in singulari perpetuoque Imperatorum studio, auctoritatem magistratum, qui iurisdictioni praeerant, infringendi, eoque ipso suam maiestatem & potestatem stabiliendi augendique latere putamus. Commodiori ratione, quam sub specie salutaris provocacionis auxilium hunc finem obtinere vix poterant, quo simul animos populi, principis defensionem loco tribunorum plebis vltro suscipientis, suauiter demulcebant. Hinc variis constitutionibus, ut iudices omnes omnino Appellationes, quaecunque fuerint interpositae, curent accipiendas, statuerunt (c), grauiissimasque poenas illis minitarunt, qui appellationem vel plane respuere vel appellantes metu, carcere, contumeliis & aliis iniuriae generibus adficere auderent (d). Ante tempora Augusti quidem appellationes non prorsus incognitae fuerunt, sed tunc temporis in causis criminalibus tantum a Praetore ad Tribunum plebis, vel ad totum populum, in causis ciuilibus rarissime occurrebant. Hic vero Imperator memor illius, quod

(c) L. 29. C. Th. de appellat.

(d) L. 15. 22. 33. 51. 58. 59. 60. C. Th. de appellat.



quod ipsi Maecenas olim inter imperandi praecepta commendauerat (e): *Neminem Magistratum ita sui iuris & absolutum imperio esse debere, ut sententias, quarum nulla sit retractatio ferre queat*, protuocationes a minoribus magistratibus ac iudicibus ad Praetorem, qui iudicem dederat, a Praetore ad Praefectum vrbi, e prouinciis ad Consulares in causis ciuilibus, primus introduxit, in causis grauioribus autem sibi ipsi appellationes reseruauit. Hunc morem sequentes Imperatores, utpote euehendae imperatoriae maiestati optimae inseruientem non minus seruasse, ex eo facile colligi potest, quod ad laxissimum appellationum usum promouendum, constitutionibus suis summa ope adnisi sunt (f).

Valde adrisit idem hoc artificium Pontificibus, quibus nihil aptius ad stabiliendam, cuius feliciter iactum erat fundamentum, hierarchiam videbatur, nihil facilius ad supremam tandem sedi Romanae iurisdictionem acquirendam, quam vaga illa & illimitata appellandi licentia, qua semel concessa, per frequentem ad aulam Romanam recursum, Pontificis Romani in vniuersum terrarum orbem iurisdictione satis erat firmata. Hisce conatibus ipsius aequitatis praeferebant speciem, fauorem appellationis multum euehentes, quae tamquam necessaria defensio nemini deneganda hincque potius dilatanda esset, quam restringenda. Equidem antiquis temporibus appellationes a sententiis Episcoporum & Synodorum penitus fuerunt incognitae, & depingit historia ecclesiastica motus harum appellationum

A 3

(e) DIO CASSIUS Lib. LII.

(f) HUGO de abusu appellat. roll. Part. pr. C. II. §. 3. 4. GYNDLING de transmiss. actor. in Leg. imp. permiss. eiusque repet. C. I. §.

2. V. A. BERTRAM de relat. iud. infer. ad super. deque inani Apost. resut. usu circa suscept. appell. §. 2. 3.

num causa per plura saecula concitatos, ira vt rarior illarum his temporibus fuerint exempla & haec ipsa variis contraditionibus obnoxia, vt neque ius quoddam firmum atque perpetuum inde deduci potuerit (g). Sed multis fraudibus vsi sunt Pontifices, vt remotis omnibus obstaculis, finem propositum tandem consequerentur, & famosa illa Pseudo-Isidori adulterinarum decretalium collectione, appellationum facultati insigniter fauente adiuti, communem hominum appellandi pruritus variis artibus confirmarunt atque obtinuerunt, vt circa saeculum IX ea ad sedem Romanam, prouocandi licentia nullis fere terminis aut finibus esset circumscripta, vbi per sanctionem Pontificis Alexandri III (h): Appellationibus pro causis minimis & pro quacunque & quantacunque leui causa interpositis, non minus, quam si pro maioribus fuerint, deferendum esse, constitutum reperimus (i).

Haec tam iure ciuili, quam iure Canonico non permessa solum, sed praescripta etiam prouocandi facultas amplissima, non potuit non multis iisque insignibus reipublicae incommodis ansam praebere & celeri iustitiae administrationi valde obesse. Ipsi Imperatores copiae causarum eorum cognitioni traditarum pertacti, quum praeterea imperium iam satis solide firmatum, neque debilitata magistratuum auctoritas metuenda esset, reipublicae & propriis commodis magis conuenire ducebant, ex mente Constantini, moratorias dilaciones, frustratoriasque non tam appellationes, quam ludificationes non

(g) PETRVS DE MARCA *de Concord. Sacerd. & Imp.* Lib. VI. c. 14.

(h) c. II. X. *de appell.*

(i) BOEHMER in *Iur. Eccles. Protest.* T. I. L. I. Tit. 29. §. 3. seqq. & L. II. Tit. 28. §. I. BERTRAM l. c. §. 17.

non admittere. Nam sicut bene appellantis auxilium negari non oportet, ita his, contra quos merito iudicatum est, inaniter prouocantibus differre bene gesta non decet (k). Hinc pedetentim angustioribus cancellis restricta, quae antea illimitata fere erat appellandi libertas, & in multis causis, quas tituli utriusque Codicis de appellationibus recipiendis vel non recipiendis sistunt, appellationes plane interdictae, hacque ratione incommoda, si non plane remota, imminuta tamen multum sunt, quibus antea & iudicia & litigantes premebantur (l).

Abusus autem appellationum penitus tolli nunquam potuit, quippe qui optima quaeuis instituta plerumque comitari solet & ad quem refrenandum, saluberrimae saepe leges haud sufficiunt. Non solum enim iudices, quorum auxilium imploratur, ut sententias iniquas corrigant, bene latas haud raro in peius reformant, verum saepissime etiam ipsi prouocantes iuuamine appellatorio non grauati vtuntur, sed grauaturi pessime abutuntur, dum ad illud confugiunt, non ut feliciorum exitum expectent, sed ut eum longius remoueant litemque in infinitum protrahant, aduersarium sumptuum copia diu multumque vexent, atque eo redigant, ut litem vel plane deserere, vel concordiam cum iactura bonorum subire, quam diutius foedissimis appellationis artibus diuexari malit. Neque reuerentia iurisurandi, a prouocantibus praestandi, neque poenae graues in temere appellantes statutae, hanc appellandi proteruitatem cohibere potuit, quam potius nostris quoque temporibus, in omnium fere terrarum iudiciis vehementer grassari & promptam iustitiae administrationem calumniose remorari, cum omnibus recte sentientibus merito deploramus.

Inte-

(k) L. I. C. Th. quor. appell. (l) Hveo l. c. §. 5. BER-
non recip. TRAM l. c. §. 4.

Interim ipsae leges generale illud appellationis beneficium quandoque denegarunt, eique vel ob qualitatem personae iudicis, qui sententiam tulit, vel ob qualitatem causae, in iudicium deductae, locum nullum reliquerunt. Casus huc pertinentes plena manu tradunt iuris commentatores, quorum serinia expilare nolo, de eo saltem quaedam succincte expositurus, num hodie etiam, praesertim in nostris terris appellatio, ne heres scriptus in possessionem inducatur, effectu omni sit destituta.

De iure ciuili res expedita est, cuius leges, *si res dilationem non recipiat, non permittunt appellari, ne vel testamentum aperitur, neue scriptus heres in possessionem inducatur*, & tum partes tam importune appellantes, tum iudices eiusmodi appellationes gnauiter recipientes XX librarum auri multa plectendos esse volunt (m). Causa huius dispositionis paulo altius repetenda est, vt eo facilius omnis de eius adplicatione dubitatio remoueri queat. Plerumque quidem Doctores hanc de missione hereditaria causam, inter illas referre solent, quae ob morae periculum intercedens, prouocationem ad iudicem superiorem non admittant, sed nimis generaliter haec dicta sunt, neque verum atque genuinum huius dispositionis fundamentum ita recludunt, vt ulteriori disquisitione, iam a nobis instituenta, supersedere queamus.

AVGVSTVS nimirum, quum ad tuendam atque firmandam dominationem, militum praesertim ope vteretur, & numerosum semper aleret exercitum, ad sumtus hunc in finem erogandos, mox peculiare aerarium militare, cum variis vestigalibus instituendum curauit, & ne nimis graue eiusmodi nouum

(m) L. 7. D. de appell. recip. vel l. 26. C. Th. quorum appell. non recip. l. fin. C. Iustin. eodem non recip.

uum tributum, atque libertati, cuius memoria nondum penitus extincta erat, contrarium videretur, heredibus extraneis potissimum imposuit, ut vicissimam hereditatum vel donationum ad ipsos delatarum partem huic aerario inferrent. Haec est origo celebris illius *hereditatum vicefmae*, quae initio quidem nimis graue onus videbatur, mox autem ipso senatu populoque volente, praecipuum populi Romani tributum & ab auctore suo, *lex Iulia de vicefma* nominata fuit (n).

Instituti nostri ratio haud patitur, ut vicissitudines illius, quas sequentium Imperatorum constitutiones inuexerunt, multis enarremus (o), quum ad scopum nostrum ea imprimis pertineant, quae in HADRIANI de ea sanctionibus reperiuntur. Hic vero edicto suo, quod quidem ad tempora nostra non peruenit, cuius tamen argumenta ex aliis legibus satis perspicue colligere licet, ne per varias cunctationes praestationi vicefmae, in detrimentum aerarii mora iniiceretur, ut statim post mortem testatoris, reiecta omni prohibentis appellatione testamentum aperiretur, constituit. Videmus hoc ex l. 7. D. de *appell. recip. vel non.* cuius ipsa verba, eam ad edictum Hadriani pertinere, luculenter euincunt, dum PAVLLVS scribit: *Si res dilationem non recipiat, non permittitur appellare, ne vel testamentum aperiatur, ut Diuus Hadrianus constituit &c.* Eundem quoque Imperatorem statuisse, ut heres testamentum iudici offerens, cuius nullum vitium statim adpareret, in possessionem rerum hereditariarum mitteretur, hereditatis petitione alteri parti relicta, ex PAVLLI *Receptis sententia* videre licet, vbi L. III. Tit. 5. §. 14 & 17.

B
haec

(n) DIO CASSIVS L. LII. LV. LVI. a SPREKELSEN *Diss. de re-med. ex l. ult. C. de edict. D. Hadr. toll. cap. 1. §. 2.*

(o) Vberiore vicefmae historiam tradidit BYRMANNVS in *Tr. de vectigal. pop. Rom.*

haec verba leguntur: *sive falsum, sive ruptum, sive irritum dicatur testamentum, salua eorum disceptatione, scriptus heres iure in possessionem mitti desiderat.* In eo vero, quod nec, ut oportuit oblatum, nec publice recitatum est, scriptus heres in possessionem mitti frustra desiderat. Hunc autem locum de edicto Hadriani capiendum esse, ex eo non absque ratione colligimus, quod aliud remedium heredibus scriptis datum, nullum in iure inueniatur (p). Hoc tamen heredibus concessum beneficium, breui temporis spatio inclusit Hadrianus, utque ei anno elapso praescriberetur, constituit, addit enim PAVLVVS l. c. §. 16. *scriptus heres, ut statim in possessionem mittatur, iure desiderat.* Hoc post annum impetrare non poterit. Vti omnia edicti capita fisci fauori potissimum erant accomodata, ita quoque per angustum missioni hereditariae praefixum terminum, a quouis herede, ob commoda possessionis obseruandum, illi consulere voluit Imperator & paratissimam vicefimae solutionem promouere.

Delebilem spongiam legi Iuliae de vicefima superinduxerunt sequentes Imperatores, & quamuis de vero huius rei auctore aequae minus, ac de eo constet, an non Imperatores pedetentim de illius rigore remiserint, ita ut deinde prorsus fuerit neglecta, hoc tamen certo certius est, tempore IUSTINIANI vicefimam hereditariam incognitam fuisse (q). Fatur

(p) a SPREKELSEN in *diff. sit.* §. 5.

(q) Vicefimae hereditariae re-staurationem, tamquam optimum ad augenda ministrorum ecclesiae salaria commendat, utque Princeps ad exemplum Augusti, qui in fauorem militiae sagatae legem tulit, in

gratiam militiae coelestis legem condat, vel per aliquod tempus obseruandam, ut ex singulis hereditariis siue ab intestato, siue testamentariis pars quaedam detrabatur, suaser est THOMASIVS in *diff. de off. Princip. Euangel. circa aug. sal. & hon. ministr. eccl.* §. 51.

tur hoc ipse Imperator, hanc allegans causam, quod *vicefsima hereditatis suo tempore e republica recesserit, dum edictum DIVI HADRIANI sub occasione vicefsimae partis hereditatis introductum cum multis ambagibus & difficultatibus & indiscretis narrationibus penitus quiescere iussit* (r). Vicefsima autem vel abrogata, vel obliuione obsoleta, nihilominus celeris & absque mora facienda missio heredis in possessionem hereditatis, perpetuo obseruata fuit. Iustinianus enim edicto Divi Hadriani nouam sanctionem substituens, & subueniens heredibus alia constitutione, cuius beneficiis in posterum vterentur, hanc missionem valde promouit, & re vera edictum illud vim suam hac in parte intactam retinuit. Singulares quidem vicefsimae effectus, cessante causa penitus eliminauit Imperator, hincque ex ipsius constitutione, neque heres ad soluendam aerario hereditatis partem obligatus, neque ad tempus annale petendae missionis, in fauorem filci olim statutum obstrictus, & nulla nisi longissimi temporis praescriptio ad euertenda iura ipsius admissa (s): sed mutatio edicti ex abrogata lege Iulia proueniens, praecipuum eius caput, nimirum missionem hereditatis non adtingebat, quam potius ipse Iustinianus, in gratiam heredis scripti confirmauit atque denuo stabiliiuit (t). Neque enim solum tributum illud vicefsimarium, hanc necessitatem, heredem sine ambagibus in possessionem hereditatis inducendi suadet, sed argumenta multo fortiora, etiam post sublatam vicefsimam existentia & perpetuo duratura, heredi optimum praesidium ferunt. Vix quippe cum iustitia, multo minus cum aequitate conciliari posset, si hereditatis iure inter duos controuerso, ille, cuius ius potius cuius

B 2 in

(r) l. 3. C. de edict. D. Hadr. toll.
(s) l. 3. cit.

(t) a SPRECKELSEN *diff. cit.*
§. 6.

in oculos incurrit, possessione & commodis rerum hereditariarum ad multos annos priuatus esse debeat, ob litem, quam alter calumniose mouet & animi explendi causa in infinitum protrahere studet, quamuis species iuris quod iactat, tam tenuis sit tamque exigua, vt victoriam nullo modo portendere possit. Haec itaque aequitatis ratio, quae omnia remedia possessoria imprimis commendat, postulat etiam, vt heredi firmissimi iuris praesidiis, ex tabulis testamenti, nullo vitio visibili laborantis defunctis munito, possessio hereditatis concedatur, donec de iure hereditario, vtraque parte satis audita, lis principalis fuerit decisa.

Firmissima autem est, quam iudex super possessione hereditatis tulit sententia, in qua victus adquiescere & ius quod sibi competere putat, in petitorio prosequi debet, neque illius vires mediante prouocatione euertere potest (u), & cum Iulianus anteriorem Imperatorum legem, omnem appellationem a sententia de missione ex edicto Diui Hadriani prohibentem, suam fecerit & instar normae perpetuae in posterum quoque statuerit (v), nullum superesse potest dubium, hodie quoque eiusmodi sententiam, appellatione forsitan contra leges interposita non obstante, executioni a iudice mandari posse. Eiusdem sunt, qui huic opinioni ad sensum suum denegant, & in hac quoque causa appellationem hodie admittendam esse, ex ea potissimum ratione sibi persuadent, quoniam leges allegatae ad bonorum possessionem tantum restringendae sunt praetoriam, quae tamen iam dudum cum ipso praetore eiusque nomine obscurata sit & euauerit, omnisque successio nunc ciuilibis

(u) l. cir. 7. de appell.

(v) l. 6. C. quor. appell. non recip.

nilis sit, postquam ius praetorium in corpus iuris relatum & a principe promulgatum, deserit esse praetorium, atque pro iure civili magis sit habendum, quum Imperator omnia sua fecerit, ius praetorium & civile confuderit, & vtrique eandem tribuerit auctoritatem (w). At enim vero cum praetore ipsum ius praetorium haud interiit, & quamuis illud quatenus a principe est promulgatum, civile dici ratione confirmationis & auctoritatis queat, tamen naturam iuris praetorii, utpote ab Imperatore non mutata retinuit, qui illud cum originali sua qualitate adprobavit atque uti a praetoribus inuentum, constitutum & per edicta propositum confirmavit, in corpus iuris reulit, eandemque cum iure civili auctoritatem ei concessit. Vri itaque ex praescriptione actionum bonorum possessionis aliorumque iurium satis adparet, primaevam iuris praetorii naturam saluam Iustinianum voluisse, quum iure Codicis quoque haec differentia temporum in praescriptione iuris praetorii sit retenta, ita idem ratione successione ex iure praetorio, probari facile potest. Quamuis enim illis, quos ab intestato praetor vocabat, per *Nou. 118.* iis autem, quibus bonorum possessio contra tabulas a praetore concessa, per *Nou. 115.* satis prospectum videatur, tamen hisce recentioribus constitutionibus ius praetorium prorsus sublatum esse, expresse in iis haud continetur, quum tamen stricta interpretatione in legibus correctoriis vrendum sit. Post Iustiniani potius tempora, usum bonorum possessionis haud infrequentem fuisse constat, & hodie quoque successionem praetoriam & bonorum possessionem, quamuis nomina ipsa raro occurrant, usu obtinere, variisque in casibus non nisi ex praetorio iure successione commoda adquiri posse, alii luculentissime demonstrarunt, & illorum testimoniis optime

confirmatur, qui in causis forensibus tractandis, cognoscendis & definiendis occupantur (x).

Praeterea maxima & singularis remedii l. vlt. C. de edicto D. Hadr. toll. & bonorum possessionis secundum tabulas, quam praetor heredibus in testamento siue scriptis, siue nuncupatis ex eaque interdictum quorum bonorum concessit, adparet conuenientia, adeoque aequales vtrique effectus tribuendi. Ratione limitum quidem, fundamenti agendi & modi procedendi a se inuicem haud leuiter discedunt, hancque ob causam remedium nostrum, cum bonorum possessione secundum tabulas, indeque concessio interdicto quorum bonorum, pro vno eodemque haberi vix potest (z). Bonorum possessionem enim praetor ex testamento a septem testibus signato, ob aequitatem & praesumptam defuncti voluntatem dedit, quam sequebatur interdictum, quod tamen non ob institutionem in testamento factam, sed ob agnitam bonorum possessionem ante omnia probandam, concessit (a); quum e contrario constitutio Iustini, missionem immediate ex testamento scripto decreuerit.

Reme-

(w) GRÖNWEGEN *de leg. abrog. ad tit. I. de bon. poss.* VINIVS ad §. vlt. l. *per quas pers. cuique acquir.* n. 5. GISEBERTVS in *Iustin. harmon.* n. 259. seqq. Conf. LEYSER *qui in medit. ad D. Spec.* 499. *med.* 3. in remedio legis vlt. C. *de edicto D. Hadr. toll.* remediis suspensiuis etiam locum relinquit, sed alio plane argumento vitur, cui non immoramur, quum omni legum auctoritate destitutum sit.

(x) SCHNEIDEWIN ad §. f. l. *de bonor. poss.* n. 10. MEYER in *Colleg. Arg. tit. de bonor. poss.* §. 3. BERLICH. P. III. *Concl.* 16. STRVVE *exercit.* 38. *ib.* 43. & imprimis STRYCK *de Succ. ab int.* Dill. 9. c. 2. §. 10. 26. c. 4. §. 2 seqq. §. 14. 28. c. 5. §. 12. c. 6. §. 5. 9 seqq. c. 7. §. 1 seqq. §. 10 seqq. & §. 20 seqq.

(z) quod tamen adferere non dubitauit LEYSERVS *Spec.* 500. *med.* 5.

(a) l. I. C. *quor. bon.*

Remedium ex l. ult. C. de edicto D. Hadriani toll. heredi scripto tantum ex testamento publice recitato tribuitur, heredibus autem nuncupatiuis idem comperuisse, haud constat, quibus bonorum possessio cum interdicto omnino data fuit (b). Apertura deinde tabularum earumque prolatio ad consequendam bonorum possessionem per interdictum, non fuit necessaria, si modo de illarum existentia constaret (c); in nostro vero remedio, ut proferatur testamentum atque rite aperiatur tale, quod neque in essentia, neque in forma manifestum defectum patitur, siue quod, ut Imperator dicit, ex quacunque suae formae parte vitiatum non est, ante omnia requiritur. Sed his non obstantibus, quoad rem ipsam interdictum Praetoris & nostrum remedium omnino conueniunt, quare hoc, per quod possessio hereditatis transfertur in eum, cui ius hereditarium praesumptiue ex testamento scripto competit, interdictum quorum bonorum vitale, seu ad heredem testamentarium extensum, adpellare non dubitamus (d). Quod si itaque praecipuum hoc est commodum interdicti quor. bonor., quod a sententia lata non appelletur (e), nihil impedit, quominus leges supra citatae, appellationem prohibentes, si vel maxime praetoriam successionem respicerent, tamen vires suas exercent ratione successionis etiam ciuillis, quando remedio ex l. fin. Cod. de edict. D. Hadr. toll. infirmito, controuersia hereditaria per sententiam iudicis finitur. Exiguum & hic emolumentum, salutaris alias ad superiorem prouocatio appellanti conciliabit. Quamuis enim regulariter iudex appellationem recipere, sub grauis poenae comminatione

(b) l. 8. §. 4. D. de bonor. poss. secundum tab. l. 2. C. cod.

(c) l. 1. §. 2. D. cod.

(d) a SPREKELSEN *diff. cit.* c. 2. §. 8.

(e) l. vn. C. si de moment. poss. fuerit appell.

ne teneatur (f); neque ea pendente quidquam immutare, aut in ea causa ulterius procedere queat (g), appellatio quoque in eum statum causam reducere dicatur, in qua fuit tempore litis contestatae, ab his omnibus tamen in nostro casu longissime receditur, in quo appellatio viribus, quibus alias gaudet, destituitur fere omnibus.

Quodsi tamen quis sententiam, de possessione hereditaria laram mediante appellatione impugnaverit, qualis huic effectus sit tribuendus, diuersas Doctorum deprehendimus sententias. Alii enim effectum suspensiuum ei quidem denegant, ita vt executio sententiae nihilominus fieri, & possessio rerum hereditariarum restitui debeat, deuolutio autem locum relinquunt, adeoque causam facta executione, ad superiorem deuolui, ideo potissimum sibi persuadent, quia in *l. vn. C. Th. si de moment. fuer. appell.* post verba: *cisi appellatio interposita fuerit, tamen lata sententia sortiatur effectum*, haec subiiciuntur: *atque ita demum ad nostram scientiam referatur* (h). Alii e contra ob multam non solum appellanti, sed iudici quoque appellationem recipienti in legibus comminatam, appellationem simpliciter reiiciunt, & nullum plane neque suspensiuum, neque deuolutiuum effectum eam producere posse, statuunt (i). Sive vero huic, siue illi opinioni calculum nostrum adponamus, hoc tamen extra controversiam positum est, executionem sententiae inferioris iudicis nunquam retardari, sed in fauorem scripti heredis statim

(f) l. 21. & 28. C. de appellat.
(g) l. vn. D. nihil innouari appellat. pendent.

(h) MENOCH, *remed. 4. adpisc. poss.* n. 828. CARPZOV. *L. 1. Resp.* 13. n. 6. STRYVE *exerc. 50. Th.*

4. BRVNNEMANN. ad l. vn. C. si de moment. poss. fuer. appell. STRYK. *de Success. ab intest. Diss.* 9. c. 3. §. 4.
(i) PEREZ. *prael. in Cod. L.* VII. Tit. 65. n. 5. RVDINGER *de appell. Th. 15. not. a.*

tim decernendam esse, etiamsi causae cognitio a l. superiorem instantiam deuoluatur.

Haec principia in clara legum dispositione fundata, etiam in nostris foris sequenda & deficiente contraria sanctione, legibus iuris ciuillis derogante, vis suspensua appellationi haud tribuenda est in casu, vbi lex expresse disponit, vt sententia lata confestim executioni mandetur. Quamuis enim secundum *Ord. Pron. P. I. Tit. 2. §. 5.* omnes appellationes rite interpositae admitti debeant, paribusque permissum sit, sententiam definitiuam inferioris iudicis, more antiquo impugnare, tamen hanc generalem dispositionem, casum illum specialem, in quo ius ciuile in l. 6. C. *quor. appellat. non recip.* omnis prouocatio reijcitur, etiam comprehendere, atque in eo quoque appellandi facultatem concedere, adfirmari nulla ratione potest. Si vniuersum huius tituli secundi ambitum considerate & intentis oculis contemplamur, facile adparet, in eo tantum accuratam iudiciorum ordinationem constitui, instantiarum diuersarum ordinem determinari simulque solemnitates varias praescribi, intuitu appellationis interpositae, ad deuolutionem causarum, & suspensionem sententiarum obseruandas, nihil vero in eo occurrere, ex quo colligi solida ratione possit, de dispositione speciali iuris in thesi, vel de correctione siue abrogatione iuris ciuillis, legislatores ibidem cogitasse. Potius hic quoque ea probe sunt ponderanda, quae in eadem *Ord. Pron. P. II. Tit. 3. §. 3.* ratione ordinis iurium, quorum valor in iudiciis Holstatis est agnoscendus, in decidendis controuersis obseruandi proponuntur, dum clare praescribitur, vt secundum notorias, aequas & rationabiles terrae consuetudines, his deficientibus secundum

C

dum ius Saxonicum, & demum hoc quoque decisionem casus obuii non continente, tanquam in casu dispositionis specialis omiffae, secundum ius commune, nimirum iuris ciuilibus Romani placita, res in iudicium deductae iudicari & dirimi debeant. A vero itaque tramite nunquam aberrat iudex, sed maxime fundatam habet intentionem, qui legibus iuris Iustiniani decisiones suas superstruit, quoties ius speciale contrarium, vel prouinciale vel statutarium adesse, doceri nequit, quidquid enim noua lege specialiter non est expressum, id veterum legum & constitutionum regulis relictum intelligitur (k). Quae quum ita sint, neque apud nos appellatio interposita, executionem sententiae remorari potest, qua heres producens testamentum, prima fronte, visibili vitio non laborans, in possessionem rerum hereditariarum mitti iubetur, id quod analogiae iuris patrii atque praxeos Holsaticae eo minus contrarium dici potest, quum *Ord. Prou. P. I. Tit. 5 §. 4. 5.* in alio casu, nimirum in causis aggerum disponit, vt sententia iudicis inferioris, refectionem & conseruationem aggerum iniungens, saluo effectu deuolutionis appellationis interpositae, executioni mandari debeat.

Plura iam addere instituti ratio prohibet, quare me ad Praenobilissimum Candidatum

IOANNEM FRIDERICVM LANGHOFF
Hamburgensem

conuertam, qui occasionem scribendi praebuit & quam inie- rit vitae studiorumque rationem, his ipse exposuit verbis:

Patria

(k) l. 32. §. fin. C. de appel. Iud. Imp. Aul. §. vlt. BERGER in
lat. vid. Rec Imp. nouiss. §. 105. Ord. Dec. iur. L. I. Tit. I. §. 28. not. I.



Patria mihi Hamburgum, celeberrimum illud Germaniae inferioris emporium obtigit, ubi anno p. C. N. 1749. die 3 Martii in lucem editus sum. Patrem habui Ioannem Fridericum Langhoff, mercatorem honestissimum, matrem autem Annam Mariam e gente Mülleria, quos tamen parentes dura mors iam tunc praemature mihi eripuit, dum eos vixdum dulci patris matrisque nomine vocare coeperam. Sed quanta quoque fuit, quam hac morte feceram iactura, bene restituta tamen in auia mea, Maria Elisabeth Müller, cui quidem egregiae matronae quid & quanta debeam, si non publice hic faterer, ingratus tantorumque beneficiorum immemor. iure appellandus forem. Non enim solum in imbecilli infantia, materno plane affectu me fouit, sed crescente etiam aetate, in promouenda salute mea, ingenioque meo magis magisque expoliendo, omnem & adhibuit operam & sumtus largiter impendit, ac in hunc usque diem beneficia beneficiis cumulando, venerationem erga me propensionem abunde manifestat. Huius igitur indefessa futurae felicitatis meae promouendae cura factum est, ut primis doctrinae christianae & literarum rudimentis vicumque imbutus, informationi solidiori viri Reuerendi & praestantissimi b. WINKLERI traditus sim, qua tamen instructione, vocato scilicet atque constituto viro hoc pastore Bergstettensi, adeo satis gaudere non potui, sed alium non minus praestantem, institutionique meae pari vigilantia studiosum virum, nimirum admodum Reuerendum & Doctissimum AHLERS tunc temporis Reuerendi Ministerii Hamburgensis Candidatum, iam pastorem Rellingensem primum meritissimum obtinui, cuius quidem informatione adeo usus sum, ut quasquas in amoenioribus literis per-

perceperim delicias & qualescunque in illis etiam fecerim progressus, praecipue amica huius viri manu ductione & prudenti auxilio fecisse, libenter fatear. Quae enim in veterum auctorum operibus latent, & quae ipse totus cognoscit, pulchritudines atque elegancias mihi explicavit, atque ita institutione sua me Iohanneo Hamburgensi discipulam non proorsus inidoneum tradidit, in quo primum sub auspiciis VOLCKMANNI nunc in eodem Sub-Correctoris laudatissimi, tandemque ibidem sub B. Rectore MÜLLERO & Correctore MÜLLERO viris praestantia doctrinae & scientiarum undique eruditissimis celeberrimisque, in linguarum, & sublimiori ingenuarum literarum studio incrementa sumpsit, de quorum egregiorum mibique propensorum virorum tum iucunda docendi methodo, quamcunque exinde utilitatem hausi, grata animi recordatione in acceptis refero. Inde egressus, discendi magis magisque avidus, Gymnasium Hamburgense, BÄSCHII, WUNDERLICHII, quin & NOLTINGII, SCHÜTZIIque nominibus eo tempore multum celebre accessi, quorum & institutionem fidelissimam & humanitatem singularem, pari cum benevolentia contunctam, perenni memoria recolam. Iactis ergo his humaniorum studiorum, liberaliumque artium fundamentis, continuo apud me deliberavi, cuienam potissimum scientiarum generi, pro instituendo certo futurae aetatis statu incumbere, adhibitoque partim maturo amicorum familiariumque meorum consilio, partim inclinationi proprii genii obsequens, Iurisprudentiae studio me praecipue adplicandum decrevi, atque pro adtingendo hoc scopo, patriae amicisque valedicens, ad celebrem Academiam Lipsiensem profectus sum. Quamquam autem per annum modo in



in illustri hac musarum sede ad studia incumbere licuit, breue tamen hocce temporis spatium mihi impedimento non fuit, quominus praelectionibus virorum praeclarissimorum interfuerim. SAMMETTIVM atque SCHOTTIVM ius naturae, historiamque iuris, itidemque SEGERVVM & ZOLLERVVM viros doctissimos, ius Germanicum, publicum & criminale exponentes audiui, illustremque BOEHMIVM historiam imperii Germanici praeficientem, Doctorem habui. Ab hoc tamen graui sacrae Themiidis studio interdum ad ceteras iucundiores etiam musas transui, vt opera elegantiora perlustrando, ea quae iam ante didici, tanto firmiter memoriae imprimerem, discrimenque inter veteres & recentiores scriptores eo tutius instituire possem, atque ita miscendo vtile dulci, animum meum ad enucleandas studii propositi difficultates, roborarem. Praeterito igitur hoc anno, Lipsiam cum Kilia commutare, & nutu meorum, & ipsius loci celebritate commotus sum, vbi illustres & consultissimos, B. memoriae GADENDAMIVM, ius vniuersale praeficientem, & super instructione Augustissimae Rufforum Imperatricis pro compilando legum Codice in usum vasaec huius monarchiae excellenti plane stilo Collegia tradentem; WINKLERVM ius criminale explanantem, FRICKIVM vero celeberrimum & doctissimum in iurisprudentia practica, omnes magni nominis & famae, Doctores nactus sum. Quibus consilio grauissimis & in iurisprudentia tum theoretica, tum practica consummatissimis viris WINKLERO praecipue & FRICKIO meo, quid & quantum debeam, res ipsa te-





atur. Eximia etenim horum benevolentia, favore & absoluta institutione eo tandem perueni, ut tentaminibus de more academico exantlatis, & publico defendenda dissertatione inaugurali, annuente illustri Iuris consultorum ordine, mihi quos petii, summi in utroque iure honores deferri debeant.


Postquam igitur praestantissimus Candidatus petiit, ut ipsi summi in utroque iure honores praestitis praestandis decernerentur, huic petitioni libenter adnuit Ordo noster, eumque iam superiore anno ad consueta examina admisit, ubi & textus secum communicatos solide explicavit & ad quaestiones propositas apposite respondit, dignumque se adeo cupitis honoribus praebuit, qui post defensionem die XXVIII Aug. dissertationem inauguralem de *erroribus pragmaticorum circa probationem in perpetuam rei memoriam* ipsi absque ulteriori mora a me conferentur. Ut itaque publicae haec eruditionis specimina atque actum solemnem peragendum ILLUSTRISSIMI IN SANCTIORI SENATU STATUS ADMINISTRIS, CURATORIS ACADEMIAE SPLENDIDISSIMI, MAGNIFICVS EIVSDEM PRORECTOR, PROFESSORES OMNIUM ORDINUM CELEBERRIMI, HOSPITES HONORATISSIMI, COMMILITONES imprimis GENEROSISSIMI ATQVE NOBILISSIMI exoptatissima sua praesentia condecorare velint, perofficiosè ac humanissime rogo. P. P. die XXI-Aug. MDCCCLXXXIII.

Kiel, Diss., 1777-1800

ULB Halle 3
002 513 005



f
5b.





Farbkarte #13

B.I.G.

ORDINIS IVRIDICI DECANI
~~427~~ 8
~~509~~ //
CAROLI FRIDER. WINKLERI D.

PROLVSIO

1773/5

QVA

PRAENOBILISSIMI CANDIDATI

IOANNIS FRIDERICI LANGHOFF

HAMBVRGENSIS

SOLEMNIA INAVGVRALIA

INDICVNTVR

PRAEMISSIS NONNVLLIS

DE

APPELLATIONE EXECVTIONEM SENTENTIAE
HEREDI SCRIPTO HEREDITATIS POSSESSIO-
NEM ADIVDICANTIS NEQVE HODIE IN
FORIS HOLSATICIS IMPEDIENTE.

KILIAE HOLSATORVM
LITTERIS MICH. FRIDER. BARTSCHII
ACAD. TYOGR.

1773.